Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

87

eos terrore futuri iudicii et medicine iam contritis corde competenti medicina sufficere sana contricionis eius passiones sana vulnera quia commota est, id est a pristino errore translata ut tibi domino pareat que ante ydolis serviebat

Quia enim licet peccata per commotionem contricionis remissa sunt non tamen statim dominus ad requiem colligit fideles sed tribulationibus quibus purgentur exponit, sequitur

Ostendisti non sola cognitione sed etiam ipsa rei experiencia populo tuo facto tibi subiugato ac devoto dura gravissimas tribulationes. Ondit vero populo suo dura qui martirum coronas suis passionibus acquisiunt quum per scripturam sacram prohibuit servos suos delectabilia et mollia atque suavia ac propria desideria sustinere quando docuit ut duris laboribus exercitati adversus spiritualia nequicie et insurgencium cogitationum bella viriliter erecti ad palmam gloriosam eius immo merentur adducti et potasti eos vino non ubi est vinorum copia, sed compunctionis ubertas pectoris

Quantum sint utiles tribulationes presentis vite fidelibus ondisti quando per scripturas docuisti in hoc mundo passiones multiplices tuos fidelissimos sustinere Et hanc significationem dedisti metuentibus te ut fugiant a facie arcus id est a facie futuri iudicii

Dedisti etiam significationem ut in futuro Liberentur dilecti ab erumpnis seculi salvum fac populum tuum ad dexteram tuam collocando ubi eterna salus est et sine fine leticia et exaudi me in hiis que peto

Quod Deus locutus est in spiritu sancto suo scilicet christo quando verbum caro factum est et mundi salvator apparuit in quo premisit hanc salvationem de qua locutione letabor

Vox ecclesie

Et hac fiducia oro Et partibor sichimam id est humeros gencium imponens super eos sarcinam id est gravem servitutis et fidei christi que sarcina quibusdam scilicet bonis erit levis iugum enim christi suave est et onus eius leve, aliis vero scilicet malis